

idem est in omnibus Personis, quia eadem natura intellectiva, idemque intellectus, et intelligere eis convenit, sicut Pater, et Filius eodem amore producunt Spiritum sanctum. Locutio autem, et dictio, si sit ad extra; est revelatio qua aliquid revelatur creaturæ. Et hæc fit indivisa a tribus Personis: et sic est una veritas in dicendo ad extra. Locutio autem seu dictio ad intra solum est una, quia solus Pater loquitur notionaliter producendo Verbum. Aliæ Personæ non loquuntur notionaliter, sed intelligunt essentialiter. Et sic eadem est veritas in cognoscendo, et in dicendo in tribus Personis.

XXXI. De veritate transcendentali, quæ non est intellectio activa, sed intelligibilitas passiva seu entitas ut cognoscibilis, est major difficultas. Et multi censent multiplicari hanc veritatem in tribus Personis, quia est transcendens, et sicut sunt tres entitates relativæ, ita et tres veritates transcendentales; et sic Pater ut est distinctum suppositum a Filio, est vere cognoscibile ut distinctum: ergo distincta veritate a Filio cognoscibile est, quia veritas transcendens, cognoscibilitas est. Ita Vasquez hic disput. cxxi, c. vii, et Suarez iii de Trinitate, c. lxxxii, quos sequitur Alarcon tract. v, disp. v, c. v, num. v; Ruizius autem negat esse tres veritates in Personis disp. xxvii, cap. v, quia existimat veritatem non esse transcendentalem; et sic non multiplicari realiter. Vasquez movetur ex eo quod putat veritatem, quæ est passio entis, esse denominationem extrinsecam convenientem ex intellectu vere cognoscente, et hæc denominatio multiplicatur in tribus relationibus. Suarez quia existimat veritatem non sequi naturam aut suppositum, sed quamcumque entitatem, hoc ipso quod ficta non est, sed realis: sic

enim est vera. Sunt autem tres relationes, tres entitates veræ, et non fictæ. Et de ipso Filio Dei dicitur i Joan. ultimo: *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus*; ergo duplici ratione datur veritas in Filio, scilicet ratione filiationis, et ratione deitatis. Adde quod in Deo sunt quinque notiones quibus designantur Personæ, et innotescunt, seu significantur diversimode, ut docet S. Thomas infra qu. xxxii, art. ii et iii. Ergo fundant diversam cognoscibilitatem, quia notio cognoscibilitas est, qua aliquid innotescit.

XXXII. Cæterum D. Thomas absolute censet, quod veritas in tribus Personis est una tantum, nec veritas personaliter dicitur in divinis, ut patet in quæstione prima de veritate, art. vii, ad quod adducit illud Augustini viii de Trinitate, c. i: «Trium Personarum est una veritas.» Quod licet possit exponi de veritate essentiali, non relativa, tamen cum ibi Augustinus ostendat quod non est plus veritatis in una Persona vel duabus, quam in tribus, videtur etiam comprehendere relativitas veritates, si essent, quia alias illis non numeratis, non posset ferre iudicium de veritate Personarum, quomodo non sit plus veritatis in una Persona, quam in tribus, si plures veritates in tribus sunt quam in una. In præfato autem articulo absolute docet D. Thomas quod veritas, si proprie accipiatur, in divinis essentialiter dicitur, sed solum metaphorice appropriari solet veritas Filio, quatenus est summa imitatio sui principii, scilicet Patris. Si ergo veritas proprie sumpta in Deo essentialiter dicitur, et non notionaliter, veritas proprie non multiplicatur, etiamsi multiplicentur entitates relativæ.

Et ratio hujus est, quia ut late tradidimus supra disputatione secunda

ex D. Thoma veritastranscendentalis est adæquatio quædam, et commensuratio seu imitatio rei cum suo principio, quod est in intellectu, seu cum suo originali. Et quia in Deo non est entitas derivabilis ab intellectu, vel intellectione Dei, sed idem omnino cum intelligere divino, est ibi summa, et unica veritas, sicut unum intelligere identificatum cum omni entitate divina. Sed relationes divinæ quantumcumque multiplicentur non habent diversam adæquationem, et commensationem cum intellectu divino, quia unico, et eodem modo identificantur illi: ergo eadem veritatem, quia eadem adæquationem, et commensationem habent, scilicet per identitatem. Item fundamentum veritatis hujus sive sit adæquatio cum intellectu, sive sit ratio entitatis non fictæ, aut aliquid aliud, est unum, et idem in tribus relationibus: ergo, et veritas eadem. Antecedens probatur, quia illud est fundamentum veritatis, in quo veritas habet firmitatem, et certitudinem a parte rei, ita sit ens ratum, et fixum, non fictum, et bene fundatum in essendo. At totum fundamentum, tota firmitas, et connexio veritatis, et necessitas ejus convenit relationibus ex essentia, et ex immutabilitate, et indefectibilitate summa, quæ utique est ipsum esse actus puri, quo est a se, et independenter a quolibet alio, et immutabile in essendo. Ergo tota ratio veritatis transcendentalis sumitur, et fundatur in essentia: ergo non est multiplicanda veritas magis quam essentia ipsa, licet multiplicetur relatio realis Personarum. Et sic Personæ esse veras, et non fictas considerari debet, non solum ratione relationis, ut multiplicatæ, et oppositæ alteri, sed ratione ipsius realis esse, quod habent, et firmitatis in essendo: in tantum enim receditur ab esse ficto, in quantum

habetur esse a parte rei, et in tantum est ens reale ut distinguitur ab ente rationis, et ficto, in quantum est capax existentiae, seu esse realis. Per ipsum ergo esse quod habent Personæ, sunt non fictæ, sed veræ Personæ, imo et ipsa oppositio relationum in quantum est existens, est realis, et vera, et non ficta: sed esse, seu existentia non multiplicatur in relationibus divinis, ut ostensum est, etiam si dicatur existentia relativa: ergo neque veritas Personarum multiplicatur quatenus dicuntur veræ, et non fictæ, etiam in ipsa realitate relationum.

XXXIII. Denique, veritas Personarum vel sumitur pro cognoscibilitate seu intelligibilitate passiva, qua in se cognosci possunt, vel pro realitate qua distinguuntur ab ente ficto, et a relationibus rationis, vel pro commensatione, et adæquatione cum suo originali, et cum iudicio vero, quod est in intellectu.

Primum, non multiplicatur in Personis loquendo de intelligibilitate propria fundata in ipsa entitate rei, non de extranea, qua sunt intelligibiles ad modum alterius: hæc enim non est propria veritas rei, sed aliena, illi tamen accommodata, et de hac non loquimur. Propria autem intelligibilitas, seu veritas multiplicari non potest, quia intelligibilitas sequitur entitatem ratione immaterialitatis quam habet, quia sic proportionata est intellectui; immaterialitas autem non multiplicatur in relationibus, sed est una, quia pertinet ad spiritualitatem, et carentiam materiæ, seu potentialitatis, quod convenit Deo ratione actus puri, et ex tali immaterialitate probavit D. Thomas Deum esse intelligibilem, et intelligentem, supra quæst. xiv, art. i. Et talis perfectio non multiplicatur in Deo.

Secundum, scilicet realitas ut dis-

tinguitur ab ente ficto multiplicatur quidem in divinis relationibus, sed sub eodem esse, et firmitate quod est esse actus puri, et immutabilitas ejus. Realitates autem non dicuntur veræ secundum quod verum distinguitur a ficto, nisi per ordinem ad esse quo existunt a parte rei, vel capaces sunt existendi: ergo non multiplicato hoc esse, nec immutabilitate ejus, non multiplicatur veritas, et firmitas ut excludit fictionem.

Tertium, scilicet commensuratio, et adæquatio cum originali vel cum judicio, et mensura intellectus, non multiplicatur in relationibus, quia veritas in illis est increata, et prima: non enim creata esse potest. Veritas autem prima, et increata non est mensurata per aliam regulam, sed est ipsa omnium regula; et sic quia Deus est suus intellectus, et suum intelligere non habet veritatem per imitationem, et adæquationem cum alio, sed per se est summa, et prima veritas. Aut ergo veritas, quæ multiplicatur in relationibus, est veritas prima, et increata, aut secunda, et creata seu mensurata. Creatam ponere in Personis, nefas est: increatam, et primam multiplicare, impossibile; nec ipse Suarez id concedit, sed negat illa cap. viii, num. v, quia veritas prima est suprema, et hæc est essentialis in Deo; unde solum concedendæ sunt, inquit, tres veritates cum addito, id est, relativæ. Quasi vero esse tres relativæ, diminuat aliquid de suprema veritate. Si enim sunt tres veritates relativæ, vel sunt increatæ, et sic sunt supremæ, et non erit una sola veritas prima, et suprema: vel sunt creatæ, et hoc non potest cogitari. Debet ergo esse una.

XXXIV. Ad fundamenta opposita patet ex dictis. Ad id quod dicitur de cognoscibilitate Personarum, di-

cimus, quod cognoscibilitas propria, quam ex se fundant, et qua possunt cognosci in se, esse unam, quia fundatur in eadem immaterialitate, quæ est radix intelligibilitatis. Unde repugnat videri in se unam Personam sine alia, aut essentiam sine Personis, quia cognoscibilitas omnium est una, ut diximus præcedenti tomo, disp. xv. Si vero loquamur non de cognoscibilitate propria, qua in se sunt intelligibiles, sed de aliena, et per connotativos conceptus, illa non est veritas propria Personarum, sed a nobis formata; et de tali non loquimur. Ad id quod dicit Vasquez quod veritas quæ est passio entis, est solum denominatio extrinseca a judicio intellectus proveniens, late responsum est supra disputatione secunda, et ostensum est hoc esse falsum.

XXXV. Ad motiva Suarez respondetur. Ad illud de realitate, qua entitas dicitur vera, id est, non ficta, jam responsum est quod sunt quidem tres realitates veræ, et non fictæ, non autem tres veritates, quia fundamentum, et firmitas talis veritatis, ut opponitur fictioni, seu enti rationis, unum est, scilicet esse reale, et actuale per quod recedit ab ente ficto, quod non est capax existentie actualis, et similiter immutabilitas ejus, et hoc est unum in relationibus divinis. Ad locum illum primi Joannis ultimi dicitur illum nullo modo posse aptari sententie Suarez, quia cum dicit: *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus*, ibi non distinguuntur duæ veritates, altera filiationis, altera deitatis, quia in nulla sententia veritas essentialis, quæ est divinitatis, et filiationis, quæ est personalis distinguuntur, sicut inter essentiam divinam, et Personam nulla est distinctio realis. Difficultas est, an veritas paternitatis, et filiationis sint distinctæ, non

veritas Dei, seu deitatis, et filiationis. Ex illo autem loco, in quo dicitur esse verum Deum, et verum Filium, quomodo colligi possit esse distinctas veritates paternitatem, et filiationem, omnino non video: sed dicimus omnino Deum esse verum Deum, et verum Patrem, et verum Filium eadem veritate, quæ omnia illa amplectitur, sicut eodem esse, et divinitate existunt.

XXXVI. Ad ultimum respondetur illas notiones non postulare plures veritates, imo neque plures entitates postulant, quia non omnes sunt oppositæ, sicut spiratio activa, et paternitas sunt duæ notiones, non tamen duæ entitates, etiam relativæ, quia non sunt oppositæ. Dicimus ergo quod notiones sunt quædam notæ, seu designationes, quibus Personas aut ea quæ ad Personas pertinent, dignoscimus. Et possunt dari plures sub eodem esse, et entitate, et veritate; sicut e converso sunt plura attributa absoluta, quibus essentiam variis conceptibus significamus, nec tamen illa plures veritates, aut plura esse habent, sed idem.

XXXVII. Dico secundo: Bonitas in relationibus divinis non multiplicatur, etiam relative. Hæc conclusio difficultatem non habet ex supra dictis: ostendimus enim in Deo non posse dari plures perfectiones, nec plura esse, etiam relative, quia in perfectione, et esse non opponuntur relationes. Bonitas autem convenit alicui secundum quod perfectum, et ratione perfectionis, et esse: ergo si non sunt plures perfectiones, neque plures bonitates. Ad hæc, bonitas si multiplicaretur in relationibus, deberet multiplicari ut increata, et summa bonitas: nam ut creata non est ad rem. Summa autem, et increata bonitas implicat multiplicari, tum quia est summa perfectio; et sic omnem perfectio-

nem includit, unde dicit actum purum, et non solum genus relativum, sed etiam absolutum includit, hoc autem repugnat multiplicari; tum quia bonitas increata, et divina est ultimus finis, ergo si multiplicatur, erunt plures ultimi fines, quia plures bonitates increatæ, hoc autem repugnat: ergo.

XXXVIII. Quare omnia transcendentalia quæ conveniunt enti ratione alicujus perfectionis, multiplicari non possunt, quia hoc ipso quod perfectio est, divina, et increata, et summa perfectio est, et sub hac ratione repugnat multiplicari. Ex quo sequitur, realitatem, entitatem, unitatem, aliquid, seu res, et ens, multiplicari posse, quia hæc de suo conceptu perfectionem non dicunt in suo formali conceptu, sed res, ens, et aliquid solum important communissimam rationem entis, prout dicit conceptum pertinentem ad quid, seu ad positivum datum a parte rei, quidquid illud sit, sive perfectum sive imperfectum, potentiale vel actuale, sufficit quod sit capax existendi in re, sive per propriam, sive per alienam existentiam: nam hoc ipso est res prout opponitur nihilo, seu enti ficto. Et sub hoc conceptu multiplicari potest in Deo, sed existere per idem esse. Unum autem dicit indivisionem, et per multiplicationem entitatis multiplicatur; et sic dicimus tres Personas, et dicendo tres, multiplicamus unitatem. Unde dicit D. Thomas supra quæst. vi, art. iii ad 4, quod unum non importat rationem perfectionis, sed indivisionis; et sic per hoc quod multiplicetur unitas ex vi talis conceptus, non multiplicatur perfectio, sed solum tollitur indivisio. Multiplicatio ergo relativa cum sit multiplicatio realitatis, ut oppositæ, sub qua oppositione non explicatur perfectio, nec quid relatio sit, sed ad

quid sit, non multiplicat perfectionem, licet dividat realitatem sub ratione ad.

XXXIX. Dico tertio: Non est multiplicanda infinitas etiam relativa in Personis. Pro intelligentia hujus conclusionis advertendum est quod p. Suarez lib. III de Trinitate, c. XII, num. VII, duplicem infinitatem distinguit. Aliam simpliciter in genere entis, aliam propriam in unoquoque genere, sicut de quolibet attributo secundum proprium genus dicimus esse infinitum in suo genere, sicut dicimus sapientiam esse infinitam in suo genere, et justitiam in suo, etc. Ergo similiter relationes in suo genere infinitatem habebunt, et eo modo multiplicabuntur infinitas, quo perfectio, quia infinitas ad quantitatem pertinet perfectionis. Et sic qui concedunt multiplicari perfectiones relativas, urgentur multiplicare infinitates, quia perfectiones illæ multiplicatæ finitæ non sunt, cum non sint creatæ: ergo infinitæ in suo proprio genere; sicut etiam dicimus Verbum procedere ut terminum intellectionis infinitæ, Spiritum sanctum amoris infiniti. Sed ponit instantiam Suarez de ipsa existentia, quam multiplicat in relationibus, quia vel sunt creatæ, vel increatæ. Primum non potest poni in Deo, secundum ponit plures existentias increatas, quod est absurdum. Et respondet, quod creatum, et increatum convenit supposito ratione naturæ, sicut esse generabile vel corruptibile. Unde non multiplicatur ratio increati in divinis, sed solum convenit ratione naturæ.

XL. Cæterum nostra conclusio sequitur ex oppositis principiis supra stabilitis, quia infinitas est quantitas perfectionis: ergo non multiplicata perfectione non multiplicatur infinitas: supra autem ostendimus perfectiones etiam relati-

vas non multiplicari, quia in eis non opponuntur relationes, multo minus opponuntur in infinitate. Quod vero unumquodque attributum infinitum sit, verissimum est, sed tamen non multiplicatur in eis infinitas, sed eadem infinitate omnia in suo genere infinita sunt. Idem ergo dicemus de relationibus, quia etsi opponantur in ipso ad, ut correlativo, tamen in infinitate suæ perfectionis non opponuntur: ergo non multiplicatur: et ita in hoc in quo non opponuntur, æquiparantur relationes attributis. Specialiter autem urget hic illud magnum inconveniens, quia si multiplicaretur infinitas relativa, non posset una Persona habere omnem perfectionem alterius, nec formaliter, nec eminenter; et sic aliqua perfectio esset in una, quæ non esset in altera. Non esset formaliter, quia entitas relationis Patris non est formaliter relatio Filii, sed illi opponitur, et ab ea distinguitur: ergo infinitas Patris relativa non est formaliter infinitas relativa Filii; alias esset eadem, et una formaliter perfectio, atque adeo non multiplicaretur. Non esset eminenter in una quod in altera, quia continentia eminentialis est, quando una forma est eminentior altera, et excedit illam, si autem sit omnino æqualis, non potest eminenter continere, quia non potest esse eminentior illa. Sed si utraque habet suam infinitatem relativam separatam ab alia, utraque infinitas relativa æqualis est, et ejusdem omnino perfectionis infinitæ in ratione relativæ: ergo non potest eminenter continere, ut non bene concedit p. Suarez ubi supra capite undecimo; sed vel nullo modo continet perfectionem alterius infinitam, a qua distinguitur, vel continet formaliter, quod repugnat, et ponderatum est, cum formaliter opponantur. Ex multiplicatione er-

go infinitatis, sequitur perfectionem unius non esse in alia. A qua consequentia non se expediunt, qui perfectiones relativas docent multiplicari. Unde tandem aliqui concedunt aliquam perfectionem relativam esse in una relatione, quæ non est in altera. Sed ex hoc sequitur, neutram esse infinitam in genere relativo, quia tunc aliqua perfectio est infinita in aliquo genere, quando nulla perfectio illius generis illi deest: sed in hac relatione Patris non est omnis perfectio generis relativi, quia aliqua perfectio sibi deest, scilicet perfectio, et infinitas relativa Filii: ergo neutra est infinita in genere relativo. Nisi forte dicatur, unamquamque esse infinitam in sua specie, v. g. specie filiationis, vel paternitatis tantum, licet convenient in genere relativo, sicut sapientia est infinita in specie sapientiæ, non in specie prudentiæ, licet utraque sit in genere intellectivo. Sed exemplum non quadrat, quia sapientia non habet distinctam infinitatem a prudentia, sed utraque in genere intelligibili infinita est, et solum per rationem distinguitur illa infinitas. At in Personis divinis multiplicatio est realis; et sic perfectio infinita, quæ est in una relatione, non erit in alia; et sic quidquid sit an in sua specie paternitatis vel filiationis remaneant infinitæ, in genere tamen relativo, infinitæ non erunt, sicut sapientia, et prudentia sunt infinitæ in genere intellectivo. Quod ergo Verbum procedat ut terminus infinitus in genere intellectionis, Spiritus sanctus ut infinitus in genere amoris, non dividit eos in infinitate, sed in oppositione relativa solum.

Dico quarto: Sanctitas personalis, et relativa non multiplicatur in Personis divinis, sed sanctitas pertinet ad attributum essenziale, sicut bonitas; et sic convenit ratione na-

turæ. Aliqui existimant multiplicari sanctitates relativas: tum quia sanctificatio pertinet ad ipsa principia operandi quæ rectificari debent per sanctitatem; principium autem operandi non solum est principium quo, sed etiam principium quod, scilicet persona, vel suppositum, et cum ista principia multiplicentur in divinis, etiam sanctitates personales multiplicabuntur; tum quia Verbum divinum ratione suæ relativæ personæ sanctificavit humanitatem assumptam sanctitate personali, præter illam quam habuit formalem accidentalem ex gratia, ut dici solet tertia parte, quæstione septima. Ergo non solum pertinet ratio sanctitatis ad naturam, sed etiam ad Personas.

Cæterum de hoc pertinet tractare ad prædictum locum tertiæ partis. Nunc breviter dico, quod quidquid sitan detur sanctitas personalis, præter attributalem, qua voluntas seu operatio videtur rectificari, tamen non invenio personales relationes opponi in sanctitate, sicut nec in perfectione, et in esse actuali: pertinet autem sanctitas etiam si sit personalis ad puritatem, et rectitudinem operantis, et sic maxime sequitur perfectionem, non oppositionem relationis personalis. In perfectione autem non opponuntur relationes, licet illam includant, ergo neque in sanctitate opponuntur, et sic sanctitas non multiplicatur, licet conveniat Personis, et in eis includatur easque reddat personaliter rectas, et sanctas: sicut esse constituit eas existentes, nec tamen multiplicatur, quia ex parte fundamenti se tenet, non ex parte attingentiæ ad terminum, et correlationis. Certius tamen videtur, quod sanctitas pure est attributalis, quia in Deo dicit indefectibilitatem, et puritatem intellectualem, et moralem, seu in intellectu, et voluntate. Ratio autem

intellectivi pertinet ad naturam divinam sub conceptu naturæ, et moralitas pertinet ad attributa voluntatis, scilicet ad virtutes, ut misericordia, justitia, etc. Ergo rectitudo tam ex parte intellectus dirigentis, quam moralitatis regulatæ in voluntate ad rationem naturæ vel attributi pertinet, et hoc est de conceptu sanctitatis. Unde gratia quæ in nobis facit animam sanctam supernaturaliter tamquam participatio divinæ sanctitatis, est participatio, et consortium divinæ naturæ, juxta illud 1 Petri 1: *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*: ergo sanctitas in Deo ad naturam pertinet, et attributa.

Rationes vero dubitandi non movent.

Ad primam enim dicitur quod sanctificatio pertinet ad principia, quæ rectificari debent, per modum perfectionis, et moralitatis eorum, non per modum distinctionis, et oppositionis: non enim pertinet ad sanctitatem distinguere principia operativa, aut relationes opponere inter se, sed omni malitiæ, et defectui, et impuritati morali opponere. Hoc autem est commune Personis, non particulare alicui, quia hoc habent ex plenitudine actionis, seu actualitatis voluntariæ, et intellectualis, unde rectitudo omnis dimanant.

Ad secundam dicitur, quod Verbum sanctificavit humanitatem ratione personalis sanctitatis, distinguo; ita quod ly personalis dicat rationem formalem sanctitatis, nego; ita quod dicat modum, seu terminum talis sanctitatis, concedo. Hic autem terminus, seu modus includit ipsam sanctitatem identice, eamque modificat tamquam subsistentia, et principium quod illius. Unde communicata humanitati subsistentia mediate communicatur sanctitas ut in tali subsistentia modificata: si-

cut in sententia D. Thomæ communicatur humanitati existentia divina ut modificata personalitati Verbi, non absolute.

SUBSISTENTIÆ MULTIPLICANTUR IN PERSONIS.

De hoc amplius dicemus sequenti disputatione. Nunc solum dico substantiam sumi pro termino complete, et personante naturam; et sic inveniuntur plures subsistentiæ attribui Personis, et simpliciter fateri plures esse in Deo subsistentias, ut patet in epistola Sophronii, quæ lecta, et recepta est in sexta Synodo, actione sexta, ubi sæpius nominantur tres subsistentiæ in Deo. Cum ergo pluralitatem in subsistentiis teneamus, videndum est quomodo id stare possit cum unitate ipsius existentie per se. Et dico subsistentiam duo posse importare. Primo, existentiam per se, ut opponitur enti in alio, seu accidenti inhærenti, et parti substantiali non subsistenti. Secundo, sumitur pro termino ultimo incommunicabili, ut expresse docet S. Thomas infra q. xxix, a. iii ad iv, et nos dicemus sequenti disputatione. Dicit enim de se terminum pertinentem ad suppositum seu hypostasim, quia subsistens est quasi sub alio sistens; et sic dicit terminum ultimi sub aliis positi, et quod habet rationem ultimi, terminum importat respectu eorum, quæ super ipsum ponuntur, ut non communicentur alteri termino. Primo ergo modo non multiplicatur subsistentia in divinis, quia non est aliud quam existentia per se, seu independens ab alia cui inhæreat aut insit. Et sic datur subsistentia absoluta in Deo, ut dicemus disputatione sequenti. Secundo vero modo non datur subsistentia absoluta,

et dantur tres relativæ, quia incommunicabilitas necessario requirit oppositionem cum ulteriori termino: sublata enim oppositione, omnia sunt unum, et consequenter se com-

municant, et identificant. Ergo sub hoc conceptu subsistentia relativa debet multiplicari, quia debet oppositionem dicere, et sub oppositione exercere rationem termini.